

disjunguntur ; aëre autem extracto tam firmiter cohærent, ut non nisi à novem viris possint dimoveri.

6. Folles ab aëris commercio & introitu, aperturis ubique firmiter clausis, si defendantur, maxima etiam vi non possunt aperiri, sive latera illorum disjungi propter maximum pondus aëris superincumbentis.

DEMONSTRATIO XX.

Cohæsio corporum subtractione aëris peracta non adscribenda est virtuti vacui attractrici vel singulari potentia ejus.

Experimenta.

I. Duo hemisphæria arctissime post aëris evacuacionem cohærentia, quæ à duobus viris non poterant sejungi, imposita campanæ & aëre externo mediante antliæ exercitio sublatò sine adjuncto pondere mox sponte à se invicem secedunt.

2. Vitrum, quod in libero aëre adhæret orificio antliæ, postea interno qui in campana est subtracto, quando singulari enchiresi orificio applicetur, suctione de novo facta, adhesionem renuit.

3. Folles qui ab omni aëris introitu defensi erant & libero aëre non poterant aperiri, impositi vacuo distrahuntur levi opera.

4. In vas vitreum aqua repletum ponebatur tubulus vitreus, qui tamen non attingebat superficiem aquæ, postea omnibus exacte clausis aér tam ex vase quam ex tubulo omnis evanescatur, & tunc ipse tubus intrudebatur in vitrum aquâ plenum, ita nulla aqua transibat in ipsum, quod tamen evenire debebat, si vacuum haberet vim attrahendi:

D 3 simul